

091

089

095

085

100

080

140

040

190

Ende

Anfang

76

Sanctum Laurentium: illum Conventum aedificavit B. Jordanes, immediatus successor in regimine Ordinis sancti Dominici, Patris nostri, (B) sed ibi est nulla observantia nec regula, sed pauci et miseri fratres ibi sine fructu degunt. In hac civitate Anno 1475. martyrizatus fuit sanctus puer Symeon a Judaeis, cum magnis tormentis: propter quod Judaei fuerunt cum torturis magnis suspendio deputati; quorum maledicta corpora vidi in patibulis pendere, anno sequenti, quando ivi Romam. Corpus autem B. Pueri inventum, magnis incepit clarere miraculis, et hodie claret, ut dicitur. Propter quod homines a longinquis partibus Theutonicae, Franciae et Italiae illac peregrinantur, et deferunt ceram, vestes, aurum, argentum et pecunias in tanta copia, quod stupendum est videre. Unde ecclesiam S. Petri, in qua corpus fuit locatum, antiquam destruxerunt et novam amplam superaedificaverunt ex illis bonis: et domum martyrii ejus etiam emundaverunt, eamque ecclesiam consecraverunt. De martyrio illius Pueri vide in supplemento Chronicorum, lib. 15, Fol. 177. Cum ergo nos peregrini vestes equitantium deposuissemus, ad ecclesias pro indulgentiis transivimus, et in ecclesia S. Petri corpus S. Pueri vidimus et locum martyrii ejus, et ecclesiam Cathedralem antiquam, et alias capellas et ecclesias. Hoc enim faciunt honesti peregrini Jerosolymitani, quod, cum ad aliquas civitates divertunt, statim de ecclesiis et Sanctorum reliquiis inquirunt, et ea visitant. Sic etiam fecerunt Domini mei, et ego una cum eis, ut patebit in processu. Cum autem sero factum esset, et in coena omnes simul sederemus, advenit quidam joculator cum fistula, et uxor ejus cum eo, quae ad fistulationem concinebat voce, bona modulatione. Vir autem licet prudens esset, fistulando gesticulationes faciebat fatuorum, propter quarum ineptias magnum concitabat ad laetitiam musicae risum. Cum autem ludus finitus esset, ex more Domini Barones et nobiles inter se de dando pretio joculatori conferabant. Quidam autem nobilis nihil contribuere volebat, asserens: suum Plebanum saepe praedicasse, quod in talibus datio et acceptio esset damnosa, et mortale peccatum. Cum itaque sim constitutus in sacra peregrinatione, nolo eam foedare vitiosa datione; sed pauperibus tribuam. Ex hoc facta

